

quam ex altera; sed ut jam dixi, ponitur numerus definitus pro indefinito, & multo major erit numerus salvandorum, quam duodecim millia, ex unaquaque tribu, ut jam explicavi q. superiori; aliquas difficultates hic occurrentes dabimus in questionibus.

QUESTIO XI.

Quare in omnibus tribubus summa aequalitas signatorum proponitur, ut ex qualibet tribu duodecim millia dicantur signati?

99. Quid sit Tribus.

Petr. Cell.

Virtus sanctissima.

300.

101. Origen.

Inaequalitas mercedis a Deo data, non ab ipso, sed a nobis provenit.

102.

Matth. 20. Matth. 19.

Tribus nihil aliud est, quam generatio multorum ab una communi stirpe descendentium; in qua sunt multae familiae, & Dominus; unaquaque ergo tribus magno filiorum agmine stipata, Deo hic proponitur, ita ut ex unaquaque tribu duodecim millia signata dicantur, pro quo audiendus Petrus Cellensis, lib. de Panib. c. 9. Unde enim, ait, cuiusque tribus Patriarcharum tanta filiorum numerositas, ut duodecim habeat millia signata? nisi quia vera virtus, sterilitate remota, propagatur etiam in mille generationes. Vera virtus non marcescit. Illa praecleara virtus Abrachami, Isaac, Jacob, & aliorum Patriarcharum, nescit sterilem esse sed in dies supra modum augetur; ita ut in natura virtutis generositas transfusa videatur, nec imbelles columbas generant Aquilae; sed qui virtutis semen in mundum mittit, indefectibiles trahit segetes imitatorum, ut numerosiores, & diuturniores appareant familiae, quas majorum virtus concitat.

Questio tamen principaliter inquit, cur signatorum hic ponitur summa aequalitas in omnibus tribubus, ita ut ex utraque duodecim millia dicantur signati? & rationem literalem jam dedi supra q. 10. in 3. conclusione, quam late explicavi.

Hujus vero summae aequalitatis in omnibus hanc rationem moralem invenit Origen. hom. 1. in Exod. Ad quos Patres, ait, iste numerus referendus sit, tam aequalis tam integer, tanquam copiosus, ita ut nullus alio superior, aut inferior numeretur, Apostolus subiecit, cum dicit: Propter quod solo genua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelo, & in terra nominatur. Aeternus Pater ex se in praemiis, ac coronis largiendis nullam inaequalitatem facit omnia unicuique proponit, & aequalis vult habere filios in honore, ac dignitate, tamen ex ingenio, ac merito filiorum, talis inaequalitas provenit; quod quidam alijs in dignitate praeferrantur, non ex patre, sed ex filiis provenit.

Petunt filii Zebedaei dexteram, & sinistram, quibus Dominus ait. Sed, ut autem ad dexteram, & sinistram, non est meum, dare vobis. Matth. 20. num. 23. Quomodo modo negat, dare sedes, qui antea eas Apostolis promiserat: sedebitis super sedes duodecim; Matth. 19. num. 28. Non negat Dominus suum esse sedes dare; sed negat, suum esse tam inaequalis sedes dare suis discipulis, nimirum, dexteris, & sinistris; quando

ipse ex se omnes aequali praemio vult ditare, & sublimare, omnesque ad dexteram constituere. D. Chryl. homil. de petitione filiorum Zebedaei, sic fatetur: Non ipsius est, ait, solus dare sedes eorum, qui decernant, accipere. Nam si solus esset ipsius, differentes honores non essent: omnes enim ipse condidit, & aequaliter est illi cura de omnibus. Optimus praemiorum distributor Dominus, quantum est ex se, eadem omnibus largitur; nulli minus, sed omnibus aequalia distribuere aff. ctat.

Cum David esset in ultima vitae periodo; duos habebat filios, quos intinē diligebat, Adoniam nempe seniore, & Salomonem juniorem; multorum votis Adoniam Rex acclamatur; quod cum agnovisset David vocato Sadoe Sacerdote, & Nathan Propheta, mandat eum imponere super mulam suam. Unctus unctaque Salomonem Sadoe Sacerdos, & Nathan Propheta regem in Gihon, & insonuit civitas; Salomon sedes super solium regni. 3. Reg. 1. num. 45. Unde fieri potuit, quod David plenus justitia, ac pietate a regno excluderet filium seniore, ad illumque elevaverit juniorem; de quo longam quaestionem 34. hic facit Abulen. nam ipse, multum amabat Salomonem, multumque amabat Adoniam: nam hac de causa, cum ipse fecisset sibi currus, & equites eum pater non corripuit. Ibid. num. 6. Et tanto amore David astuabat in filios, ut etiam iniquum filium ejus mortem machinantem, ab interitu custodire voluerit, dicens: Servate mihi puerum Absalon. Cur ergo in Regno non patitur Adoniam; quod & Salomoni defert? Hoc non facit Patris amor, sed conditio filiorum: Pater aequaliter omnes amabat, filii vero inaequalibus moribus erant, Adoniam acie erat ingenium, plenum ambitione, & superbia, ut noiant D. Ambros. Angelomus, & alii, & ideo vivente Patre regnum invasit, ut patet ex citato cap. At Salomon, qui dicebatur, amabilis Domino 2. Reg. 12. numero 24. Suavis moribus erat, plenus prudentia, ingenio, ac virtute de quo multa Pineda de rebus Salomonis lib. 1. cap. 18. quamvis ergo Patris amor esset aequalis in filios, inaequalia eorum merita, inaequalia praemia exigebant. Amor Patris filios aequales facere optabat, tamen eorum opera talem aequalitatem non partebantur; & ideo unus a regno dejicitur, alter elevatur ad illud.

QUESTIO XII.

Quare non dicitur in communi, ex qualibet tribu duodecim millia signati; sed specialiter unaquaque tribus suo expresso nomine ponitur?

Sufficiens videtur, si diceretur, ex unaquaque tribu filiorum Israel duodecim millia signati; nam in rationali Antiqui Pontificis mandavit Deus ponere nomina filiorum. Israel: Portabitque Aaron nomina filiorum Israel in rationali iudicii. Exod. 18. num. 29. Et sic saepe in eodem c. nomina filiorum Israel reperit; cur ergo etiam in praesenti

103.

Abulen.

D. Ambros. Angelom.

2. Reg. 12. David aequaliter diligit filios ipsi vero inaequalis ad munera.

104.

Difficultas quaestionis.

Exod. 18.

praesenti non dicitur in communi, ex qualibet Tribu filiorum Israel, sed specialiter toties repetuntur duodecim millia signari per singulas Tribus?

Respondeo primò, quia mos erat Hebraeis idem saepe repetere. Secundo, in hac distincta enumeratione Deus voluit ostendere, quam distinctam habeat de omnibus suis electis notitiam. Tertio, indicat haec distinctio mirabilium structuram regni caelestis, quae ut in magifico edificio, ex multis partibus constat. Quarto, tam Deus quam Joannes hac iteratione, ac repetitione tam felicitis, ac beatæ sortis horum hominum maximè delectatur: & tanquam cum ipsis signatis maximè jucundatur, & ut etiam significet, quanti eos faciat; simulque illos sigillatim vocando ac nominando, eximè honorat, ac condecorat, sibi que acceptissimos esse indicat.

Quinto, non in generali dicuntur ex Tribubus filiorum Israel; sed sigillatim exprimuntur, ut ait S. Thomas, ut sub ipsis nominibus expressis filiorum Israel, denotentur virtutes, quales esse debeant in electis, & ad vitam aeternam designatis; quae autem sint virtutes per haec nomina significata, declarat. D. Anselmus Cantuariensis. Ex Tribu Juda, id est, confessio. Ex Tribu Ruben, hoc est, videns filios, ut sunt illi, qui bene, & consideratè operantur. Ex Tribu Gad, id est, Accinctus contra quamlibet tentationem. Ex Tribu Aser, id est, Beatos, mundanis scilicet non intentus. Ex Tribu Nephthali, id est, latitudo, & sunt hi, qui bona sua ex charitate largiuntur, & sic de cæteris, de quo quaestione sequenti.

Rectè ergo signati, ac electi sub talibus nominibus exprimuntur, ut ita sub talibus nominibus importentur indicia, ac prognostica futuræ sanctitatis in eis; solent enim nomina magna esse futurorum indicia. Missus est Angelus Gabriel ad Virginem Mariam. Luc. 1. num. 26. Et cur ad tantum Incarnationis opus iste praemittitur Angelus, ut de tanto mysterio verba habeat cum Maria? Gabriel, idem est, ac homo Deus. Acturus ergo Angelus, cum virgine de Deo futuro homine; Rectè iste Angelus eligitur ut in ejus nomine praemitteretur index rei futuræ, ut ipse Paronymus suo nomine, totius Dominicae Incarnationis negotiū praenotaret. D. Proculus homilia de Christi Nativitate in Concilio Ephesino tom. 6. c. 7. Ille namque, qui letum nuntium Mariae detulit, Gabrielis nomen sortebatur; & quid quæso Gabriel interpretatur sonat? Audi, & discite, idem utique sonat, quod Deus & homo; quia ergo ille, quem annuntiabat, Deus erat, & homo; quo dispensationis mysterium facilius persuadeat, rei miraculum, nominis mentione anticipat.

Referens D. Mattheus Apostolorum nomina, inter alios nominatos, scribit: Et Judas Iscariotes, qui & tradidit eum. Matth. 10. num. 4. Iscariotes non erat nomen, sed cognomen; & quando de alijs multis sola nomina sine cognominibus proponebat; verbi gratia, Petrum, Andream, Thomam, & alios, cur in Juda praeter nomen, etiam cognomen, Iscariotes notatur? quid habet hoc cognomen, ut inter caetera notatu dignum habeatur? Iscariotes idem valet, ac suffocatus, in quo nomine tota proditoris futura tragedia praemitteretur. Et ideo ex alio

105. Deus in numerandis suis electis maximè delectatur.

106. S. Thom.

D. Anselm. Denotantur virtutes Electorum in nominibus filiorum Israel.

107.

Luc. 1.

Nomen indicium futurorum.

Procul.

108. Matth. 10.

afflatu Judae nomen Iscariotes est appositum, D. Paschali ut in suo nomine ejus functus exitus esset representatus D. Paschali ibi, Legi Scarior iuxta Hebraicam interpretationem a quo Iam, & suffocatum vocari debere, quod si ita est magna convenientia sui nominis, ac si ex prophetia, invenitur haberi cum exitu sue mortis, quoniam laqueo se suspendit, & suffocatus interit.

QUESTIO XIII.

Quare noster Joannes in his Tribubus referendis nullum servat ordinem?

Nostra sublimis Aquila in his Tribubus referendis nullum servat ordinem; nam ordo inter has Tribus sumi potest, vel ratione nativitatis progenitorum, & tunc Primus est Ruben; Secundus Simeon; Tertius Levi; Quartus Judas, & sic de cæteris. Genes. 29. & 30. Vel sumi potest ex benedictione filiorum, data à Jacobo Genes. quadragésimo nono, vel ratione excellentiae, & tunc Judas est primus, cui jus regni datum est; Secundus Joseph, cui reliquum primogeniturae jus delatum est, ut Auctores communiter fatentur; Tertius Ruben, & sic de cæteris. Vel ordo sumi potest ratione vexillorum. Numer. primo, & decimo. Vel ratione sortis, ac partitionis Terræ sanctae, Josue 13. Nullum talem ordinem noster Joannes servat. Cur ergo tam mira, & extraordinaria serie se habet, circa has Tribus referendas?

Ad quaestionem respondet primò Ribeira; ait ipse, quod talis ordo hic proponitur; quia in fine mundi, primò, convertenda sit Tribus Juda, cum ex ea natus sit Christus; deinde convertenda sit Tribus Ruben; deinde Gad, & sic de cæteris; & quamquam ratio de Tribu Juda sit probabilis; tamen quoad alias Tribus nulla est ratio, nec conjectura, sed quædam pura divinatio.

Dico, quod in referendis his duodecim Tribubus, nullum ordinem ex assignatis in exordio quaestionis servat hic noster Evangelista; quia Deus in distributione donorum supernaturalium nullam servat proportionem ad progenituram, dignitatem, ac locum temporalem; sed sicut nos elegit, secundum propositum voluntatis suae, sic ipsa bona distribuit, ac communicat secundum propositum ejusdem voluntatis, per altissimas rationes, quas tenuitas nostrae mentis non valet assequi.

Ad mysticum sensum communiter confugiunt D. Ambrosius, Primastus, D. Anselmus, Rupertus, Beda, & alii hanc assignant rationem; quia in his partibus referendis praeparatur conversio hominis, & vita spiritualis, quae incipit à Juda, id est, à confessione, quam Judas significat: Die tua peccata Deo, ut justificeris; Succedit Ruben, id est, filius visionis; recta cognitio, ac visio, opera virtutum inchoatur, ut talia sequatur. Tertius est Gad, id est, accinctus ad pugnam, ac retationes superandas, Eccl. cap. 2. Fili accedens ad servitium Dei, preparat animam

Nomen indicium exitum futurum.

109. Ordo inter Tribus ex multiplici capite sumi potest. Genes. 29. Genes. 30. Gen. 49.

Numer. 1.

Josue. 13.

110. Ribeira.

111. Deus in distribuendis donis supernaturalibus non servat ordinem naturalem.

112. D. Ambros. Primastus, S. Anselm. Rupertus. Beda.

Fertur haec
mimo con-
versio, ac vita
spiritualis.
Jacob. 1.

tuam ad tentationem. Quartus Asser, id est beatus ob tentationem superatam. Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vita. Jacob. 1. n. 12. Succedit Nephthali, id est, latitudo spiritus, quia qui vincit tentationes, cordis magnam latitudinem, ac fiduciam in Deo habet. Sequitur sextus, ac fiduciam in Deo habet. Sequitur sextus, Manasses, id est, oblitio, qui fiduciam habet in Deo, & in eo ponit suam spem, de terrenis obliviscitur. Sequitur Simeon, id est, auditio: nam qui de terrenis obliviscitur, capax est, ut audiat, ac percipiat divina. Octavo loco est Levi, id est, mutatus: nam qui totus in Deum fertur, jam tanquam civis sanctorum se peregrinum, ac mutatum super terram existimat. Nonno loco susceperit Issachar, id est, metes, quia tali peregrino valde ampla debetur. Decimus est Zabulon, id est, habitatio, quia in tali inhabitat Deus Undecimus Joseph, id est, additio, seu incrementum; qui enim talis est qualibet die gratia, & virtute crescit, & augetur. Duodecimus Benjamin, id est, filius dextrae, quia talis spiritualis homo sic factus, & dextera Dei adjutus, ad dexteram Dei vehitur in caelis. Psal. 15. n. 8. Providebam Domini in conspectu meo, quoniam à dextris est mihi, ne commovear.

113. Ecclesia magnis virtutibus illustrata.

Ad Ecclesiam hunc ordinem referunt Vicgas, Cornelius, & etiam Ferrar. Nam hæc primò, in Juda, id est, in confessione fidei, firmissima est: In Ruben, bonis operibus abundans; in Gad tentationibus exercitata; in Nephthali charitate dilatata; in Manasse obliviscitur eorum, quæ retrò sunt; in Simeone subinde divinis auditionibus, & revelationibus illustratur; in Levi sic illustris continentiam cælibatu; in Issachar sit plena expectatæ mercedis spe; in Zabulon Dei ipsius habitaculum est; in Joseph mirificè propagatur; in Benjamin ad dexteram Dei collocatur.

114.

Psal. 44. Ecclesia virtutibus, ac donis circumdata.

Ecclesia Dei maximè nobilitata est ab ipso donis, ac excellentiis; de ea canit David, *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*. Psal. 44. n. 10. De Ecclesia est sermo, ut satis est communis sententia Patrum, & regina dicitur, ob eximiam ejus dignitatem, à dextris tuis in signum summæ dilectionis Dei erga illam; In vestitu deaurato; Non ex alia textura, ejus vestitus componitur, nisi ex auro pretiosissimo, & fulgentissimo nitore virtutum. D. Bruno de ornatu Ecclesiæ cap. 12. Pulchre, ait, *in vestitu deaurato Ecclesia describitur, ut tota sapiens, tota munda, & incorrupta intelligatur*. Et postea subdit: *meritò ergo vestitu deaurato Ecclesia pingitur, ejus omnia ornamenta tam purissimo auro intexta sunt*. Circumdata varietate omnium virtutum, gratiarum, ac donorum, ut explicant ipse Bruno, D. August. Ruffin. & alii.

115.

Apor. 2. Cyr. Ierof.

Cum Apostoli advenissent Spiritus virtute implerentur, Apparuerunt illis dispersa lingua, tanquam ignis, seditque super singulos eorum, Actor. 2. n. 3. D. Cyrill. Jerofolymit. Cathec. 17. Existimat, has linguas igneas, tanquam coronas, infuisse Apostolorum capitibus. Ad quid necessum fuit, quod Apostolorum capita iis igneis Spiritus sancti fulgurantibus coronis visibilibus resplenderent; ad quid tam luminosis radiis sic nitent: Erant Apostoli fundamenta Ecclesiæ, quæ super eorum magiste-

Ecclesia coronata fulget omni virtute, & gratia.

rium erigebatur: Inde ergo optimè eorum capita lucidis ac resplendentibus coronis nitent, ut inde agnosceretur, quod Ecclesia super eos fundata, luce gratiarum, ac donorum erat coronata, & lumen, ac lux, exterior, esset iudicium lucis, ac luminis interioris: Et lumen visibile Spiritus sancti indicabat invisibile lumen quod eorum corda replebantur; huic cogitationi adest patronus. D. Cyril. Alexand. in Joëlem Prophet. *Oportebat enim, ait, oportebat Ecclesia Mystagogos, & orbis terrarum magistris futuros, etiam ante alios dono Spiritus sancti corroborari, & veluti quoddam ornamentum per fidem in sanctificationem ab iniis factas, divina, & cælesti gratia inaurari*.

D. Cyr. Ad.

Ad Ecclesiam sanctam, ut est communis Patrum vox, loquitur divinus sponsus: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis*. Cant. 4. n. 8. Cur, quæso, ter vocatur, quæ unico tantùm nutui obediret: Cassiodorus & Beda: *Beda. Ter sponsam de Libano venire vocavit, perfectum bonæ operationis, salutiferæ locutionis, ac pura cogitationis*. In his omnibus Ecclesia sancta maximè ditata, ac impinguata est gratiis, & donis Spiritus sancti.

116.

Cant. 4. Cassiod.

QUÆSTIO XIV.

Circa numeratas tribus ac earum seriem aliqua hic aliis notantur.

Diximus superiori q. circa has tribus quæ commaniter ab Auctoribus circumferuntur, nunc ve d. ex particularibus aliqua ad majorem doctrinam proponamus in medium.

117.

Ex tribu Juda.

Judas quartus filius Jacob ponitur primo loco: quia, ut ait Rupertus, *Primus Judas, qui confessio, sive laudatio interpretatur*. Cum ergo Judas idem valeat, ac confessio, quod verbum non solum significat confiteri peccato, sed etiam Deum laudare, ut notat D. Aug. serm. 8. de verbis Domini, exponens illa verba Christi D. Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, Domine caeli & terræ*. Christus valde longè erat ab omni peccato: cum ergo, ait, confiteor tibi, id est, laudo, & glorifico te: cum ergo Judas idem sit, ac laudatio, meritò in primo ponitur loco; nam qui Deum laudat, primas in omnibus tenet.

118. Rupert.

D. August.

Marth. 11. Qui Deum laudat, primus est in omnibus.

Deinde, ait Rupertus: *Convenienter à Juda inchoat Evangelista, ex qua tribu ortus est Dominus noster*. Primas dat Judæ, in honorem Domini Jesu Christi, & ejus Matris sanctissimæ cum ex tali tribu sint exorti, indeque tantam excellentiam ei contulerunt, ut prima sit inter cæteras tribus. Ea de causa prima jubetur ad Orientem castrametari: *Ad Orientem Judas sigea tentoria*. Num. 2. n. 3. Theodoret. quæst. 3. *Justissima de causa concesserunt Judæ plagam Orientalem, quoniam de ipso Christo Domino Divinus vates inclamat: Ecce vir Oriens nomen ejus*.

119. Rupert.

Honoratur tribus Judæ ex Christo nato.

Theod.

Ex

Ex Tribu Ruben.

120. Haymo.

Ruben primus filius Jacob ponitur secundo loco: Haymo, *Spiritualis est, ait, ista profapia, & quia in Juda præcessit iniuriam confessionum, & in Ruben succedunt incrementa virtutum; qui se primus poneretur, ordo natiuitatis sue confunderetur; prius enim recedimus per confessionem à malis, deinde proficimus ad subsequentia bona, ut informatur rectis & placitis*. Judas, id est, confessio: Ruben, videns filios, interpretatur, per quæ denotantur opera agenda consideranda, quæ sunt veluti filii hominis; prius recedendum à malis operibus per confessionem, deinde de bonis studendum, Rupertus: *Post Judam vero Ruben, id est, post exordia divina confessionis, & laudis, perfectio sequitur actionis*.

Rupert.

Ex tribu Gad.

121.

Bona opera ad Deum dirigenda, & ab hominibus ascenda, ut peccati.

Gad secundum ordinem natiuitatis septimus est inter filios Jacob; quomodo ergo ponitur tertio loco post Ruben. Gad triplicem habet interpretationem, interpretatur, Tentatio, Accinctus, & latrunculus; Tentatio, & Accinctus rectè coherent, quia contra tentationem debet homo rectè accingi; & ideo bene ponitur post Ruben, ut dixi superiori quæst. nam Ruben dicit bona opera, & qui bene operatur, debet esse accinctus ad vincendas tentationes; sed cur latrunculus dicitur: videbatur potius dicendus fortissimus Dux in tanto bello tentationum. Ansbertus Abbas: *Quia bonorum certaminum, ait, finem ad Deum dirigere, ad favorem humane laudis torquere debemus: ob hoc etiam prædictus Gad latrunculus vocatur tanquam, scilicet, bona cordis latenter acquirens, Deo offerat approbanda: non humanis obtinibus detegat præferenda: ut secundum quod ipse reddat ei in manifesto: quasi enim quidam latrunculus erat David, cum diceret: In corde abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi*.

Ansbertus.

Psal. 118.

Psal. 118. n. 11. *Quod omnino ad animi intentionem pandunt, & nonnulli actionem, suam foris detegunt, & tamen inuis abscondunt; qui accinctus est ad vincendas tentationes, earumque victor, sit veluti latrunculus, qui bona, quæ tenet, & furatur, maximè abscondit ne pateant humani obtutibus, ne auferantur ab eo, & ipsa deperdat; sic qui bene operatur, opera sua abscondat, & Pater, qui videt in abscondito, reddet ei, ne si sint peruis humane oculis, ea vanitate, ac elatione quadam deperdat; & ideo ait Regius Vates: In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi, id est, contra te.*

Ex tribu Asser.

122. Rupert. Albert.

Quarto loco ponitur Asser, qui inter filios Jacob est octavus: qui interpretatur Rectus, ut inquit Rupertus, Albertus Magnus: vel atrium, ait D. Bernardin. & rectè post Gad, qui idem est, ac accinctus ad pugnam; nam qui victor est tentationis, beatus est, & jam in attrio beatitudinis, ut dixi superiori q. Et rectè inter filios Jacob, Asser idem est, ac beatus, quia

& in benedictione datum est Eucharisticum Sacramentum: Asser panis pinguis, & præbebit delicias regibus. Genes. 49. num. 20. Rectè ergo inde Asser dicitur beatus: nam qui Eucharistiam sumit, beatus est, & beatitudinis puritas ad illam requiritur.

Genes. 49. Ad Eucharistiam puritas restituitur.

Ex tribu Nephthali.

Nephthali sextus est filius Jacob, quinto loco hic ponitur, & interpretatur latitudo, & bene post Gad, & Asser memoratur Nephthali, quia post victam tentationem, & partam beatitudinem, magna fiducia, ac spe cordis roboratur in Deum. Rupertus: *Quia, ait, beatitudinis fida promissione securi non angustiantur, sed spe gaudentes, in tribulatione patientes, cum Psalmographo decantant*. Psal. 4. n. 2. *In tribulatione dilatasti mihi*. Vel rectè, post Gad, & Asser ponitur Nephthali, quia beati, qui sufferunt tentationem; nam hi non solum quilibet mala sustinent, sed etiam cum multa dilectione erga Deum, quoslibet proximos, etiam adversarios, dilant cor suum, ut omnes amplectantur. Ansbertus. *Beatiudinis certa promissione roborati bellatores Ecclesiæ, inter ipsos etiam malos, non angustiantur visceribus charitatis, sed cum Apostolo, 1. Corinth. 6. Clamant, & dicunt: habenda cor nostrum dilatatum est, unde bene post Asser, Nephthali supponitur*.

123.

Tentationis virga, magna spes in Deo. Psal. 3.

Ansbertus. Non solum sustinent mala, sed cum Apostolo, 1. Corinth. 6. Clamant, & dicunt: habenda cor nostrum dilatatum est, unde bene post Asser, Nephthali supponitur.

Ex tribu Manasse.

Manasses nepos est Jacob, filius Joseph, de quo infra, & sexto loco ponitur, & rectè Nam numeratis Gad, Asser, & Nephthali tribubus, ponitur Manasses, qui interpretatur, oblitus, seu necessitas; sicut Gad tentatio Nephthali dilatatio, quia devictis tentationibus, & dilatata charitate in proximos nullam sollicitudinem de terrenis habeamus, sed tantum necessitati contenti. Rupertus: *Manasses sequitur, qui interpretatur oblitus, sive necessitas cuius nominis mysterio monemur, ut tentationem presentium angoribus edocti, ea, quæ retrò sunt, oblitiscerent: sic in ea, quæ ante sunt secundum Apostolum extendamur, ut carnis curam non in deris, sed sola necessitate humane conditionis astricchi faciamus: de qua Psalmista meliora suspirans, ait orans, Psal. 24. n. 17. De necessitatibus meis eripe me, Domine*. Albert. Magn. Postquam agit de Asser, Nephthali, & Manasse ait, *In his ergo tribus signatur status proficientium, ut qui proficit, sit Asser per custodiam mandatorum, Nephthali per latitudinem charitatis, Manasses per contemptum mundi*.

124.

Terrena sunt in oblivione, & sic non existit te quantur. Rupert.

Psal. 24. Alb. Magn.

Ex tribu Simeon.

Ecce Simeon secundus filius Jacob, septimo hic loco ponitur: Simeon duas habet interpretationes, prima idem est, tristitia auditor, secunda idem valet, ac habitaculum, inde bene post Manassen, id est, oblivionem, ponitur Simeon: nam qui obliviscitur de terrenis, & audiens de peccatis tristatur, hic cælestis habitaculi læticia afficitur. Rupertus: *Qualitate hujus vocabuli, nempe Simeon, evidenter indicatur quid hic habendum & quid sit salubriter expectandum; illis enim habitaculi cælestis gaudium*.

125.

Qui tristatur de peccatis participat cælestis gaudium.